



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quām extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus I. Argumentum. Habens Jusnominandi Puellas dotandas, si ex Bonis  
à Testatore pro earumdem Puellarum Dote relictis fundetur, an loco  
Jurisnominandi Puellas acquirat Jus nominandi Rectorem ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](#)

## ARGUMENTUM.

Habens jus nominandi Puellas dotandas, si ex bonis à Testatore pro earumdem Puellarum dote relictis fundetur, & construatur Ecclesia, an loco juris nominandi Puellas acquirat jus nominandi Rectorem ejusdem Ecclesiae.

## SUMMARIUM.

- 1 *Consensus Episcopi est causa efficiens Jurispatronatus.*
- 2 *Ultimus status in beneficialibus attenditur. Limita ut n.6.*
- 3 *Habens jus nominandi Puellas non acquirit juspatronatus Ecclesiae; si hæc fundetur, aut construatur de bonis à Testatore relictis pro dote dictarum Puellarum, & num.8.*
- 4 *Construens, aut dotans Ecclesiam de propriis bonis, & expensis; si de his ab aliquo reintegratur; Reintegrans, & non ipse acquirit juspatronatus.*
- 5 *Consensus Episcopi nequit facere Patronum eum, qui non fuit fundator, constructor, aut dotator Ecclesiae, Et quare? Vide ibi.*
- 7 *Episcopus instituens in Ecclesia libera Rectorem ad præsentationem alicujus, sibi ipsi, & non successori præjudicat.*

## C A S U S I.

**I**N ultimo, quo decepsit elogio, quidam pius Testator hæredem suum nominavit proprium filium, cui præ cæteris piis legatis injunxit, quod annuatim quinque dotalia subsidia scutorum quinquaginta pro qualibet distribueret totidem Puellis ab ipso nominandis; Commutatum, ac applicatum fuit auctoritate Apostolica ad preces hæredis hujusmodi legatum in erectionem Ecclesiae; & in limine hujus foundationis fuit ab Episcopo tunc temporis reservatum juspatronatus favore ejusdem hæredis; qui in successivis vaccinationibus Ecclesiae præsentavit ad illam Rectorem cum subsequuto effectu, vacata nuper eadem Ecclesia; modernus Episcopus prætendit eam non esse subjectam  
*Pars V.*

Juripatronatus, & ad se liberè spectare quæro proinde an hujusmodi Ecclesia sit Patronalis, vel potius liberæ collationis.

Suaderet qualitatem Patronalem hujus Ecclesiae reservatio Jurispatronatus facta ab Episcopo in limine foundationis favore præfati hæredis, titulo quidem non mere gratuito, sed quodammodo oneroſo, dum Ecclesia fuit fundata, constructa, & dotata de bonis, ad quæ hæres ex dispositione Testatoris habebat jus nominandi Puellas dotandas, unde justum erat, quod Episcopus, loco juris nominandi has Puelles, reservaret hæredi jus præsentandi Rectorem Ecclesiae, quæ reservatio, consensus, & approbatio Episcopi, cum sit causa efficiens jurispatronatus, nulli dubium esse potest quin reddat Ecclesiam Patronalem, juxta Rot. in Vaden. Canonicus 30. Junii 1704. §. Enim verò cor. Rmo Molines, & in Lucana Beneficii 26. Junii 1709. §. Insuper cor. R.P.D. Falconerio: & alias Auctoritates supra relatas. Part. II. Can. I. & II. Caz. 7. n. 10.

2 In idem collimat ultimus Status hujus Ecclesiae, siquidem hæc in ultima vaccinatione fuit ab Ordinario provisa non liberè, sed ad præsentationem supradicti hæredis cum subsecuto effectu, qui status clarè demonstrat Ecclesiam esse jurispatronatus, non verò liberæ collationis, dum si fuisset liberæ collationis, ordinarius, qui non solet esse facilis in declarandis, seu contra proprium commodum canonizandis juribus laicorum, non instituisset ibi Rectorem ad ullius præsentationem ad tradita per Felin. in cap. Eam te num. fin. de rescript. Federic. de sen. cons. 434. lib. 2. Marefott. var. resol. lib. 1. cap. 55. num. 15. & seq. Rot. in Caput aquen. Cappellaniæ 27. Junii 1718. §. Foundationis coram R.P.D. de Herrera, & alias auctoritates, quas refert, & sequitur Rot. in Mediolanen. Beneficii primo Aprilis 1707. coram R.P.D. Ansaldo impress. Par. 2. Can. 22. 23. & 24. Caz. 4. n. 10.

3 His tamen non attentis existimo Ecclesiam hanc esse liberæ collationis; Hæres namque præfatus nihil de proprio contribuit pro foundatione, & constructione ejusdem Ecclesiae, sed ipsa fuit fundata, constructa, ac dotata de bonis à supradicto Testatore relictis ad effectum dotandi nonnullas Puelles, & auctoritate

Apostolica commutatis in erectionem Ecclesiae; & licet hæres ratione hujusmodi commutationis, & erectionis amiserit jus nominandi annuatim dictas Puellas dotandas, tamen hoc jus non est considerabile ad acquirendum jus patronatus Ecclesiae, ad quem effectum requiritur fundatio, constructio, vel dotatio Ecclesiae de propriis bonis, & expensis, ut aperitis verbis dispositum fuit in hoc *Canone*, qui originem acquirendi jus patronatus unicè reduxit ad has tres causas, & optimè explicant, & firmant *Corradin. in prax. benef. lib. 2. cap. 15. num. 19. Rot. dec. 383. n. 4.* & *403. n. 5.* & *413. num. 4. cum seqq. coram Peutinger.* Et quidem requiritur

**4** fundatio, constructio, vel dotatio de propriis bonis, & expensis, pro quibus fundans, construens, aut dotans aliundè non reintegretur; nam si quis una cum altera Persona expenderet de proprio plures pecunias pro constructione Ecclesiae, & deinde à dicta persona reintegretur de expensis, seu ei restituerentur pecuniae expensæ; hæc altera persona, quæ ex propriis bonis reintegravit consocium de expensis, & non ille esset Patronus, & acquireret jus patronatus, quia ipse in hoc casu diceretur nihil de proprio contribuisse, ut in specie resolutum fuit à S. Rota in Bituntina jurispatronatus 28. Novembris 1704. §. Sed etiam coram bo. me. Eminentissimo Caprara, ibi  $\square$  Sed etiam ex eo, quod cum Franciscus alter ex fratribus dicti Fundatoris expendisset de proprio plures pecunias in constructione Monasterii, idem Fundator ei reliquit in dicto suo Testamento medietatem cuiusdam prædii sub ea lege, & conditione, quod ipse Franciscus nullo modo petere posset, omnes, & singulas pecunias per ipsum expenditas in constructione, & reparatione Monasterii &c., & cum in actu sic disponendi fuerit præsens idem Franciscus, qui se contentum declaravit, &c. utique bene colligitur Antonium unicè fundasse Monasterium, & Franciscum nihil de proprio contribuisse  $\square$ .

Absque eo quod quicquam officiat consensus, & reservatio jurispatronatus, facta ab Episcopo favore hæredis in limine foundationis Ecclesiae: talis namque

**5** consensus, & reservatio non potest facere Patronum ex Privilegio aliquem, qui non fuerit constructor, fundator, vel do-

tator Ecclesiae ex supradictis bonis eret, quoniam nequit Episcopus rei Sacrae servitutem imponere sine legitima causa in præjudicium Ecclesiae, suorumque successorum, ac etiam S. Sedis Apostolicæ, quæ per dictum jus patronatus privaretur suo jure conferendi dictam Ecclesiam in mensibus reservatis. *Vivian. de jure pat. lib. 1. cap. 2. n. 45.*

**6** Minusque meretur attendi ultimus status, quia iste utpote promanans à dicta reservatione jurispatronatus nulliter facta ab Episcopo, & sic à titulo infecto, nullius est roboris, & institutio Rectoris facta ab Episcopo in hac Ecclesia; ad præsentationem præfati Hæredis Inefficax est pro canonizanda qualitate patronali; quia cùm agatur de judicanda qualitate, seu natura beneficii, attendendum non est quid per ordinarium sine cause cognitione recenter actum fuit, ut optimè animadvertisit Rota in Caput aquen. Cappellaniæ 27. Junii 1718. §. final. cor. R. P. D. de Herrera; Et ipsa institutio, quamvis

**7** præjudicet ipsi Ordinario instituenti, nullum tamen damnum gignere valet successori, qui prætendit Ecclesiam non esse servam, sed liberæ collationis. *Rot. in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis 1707. S. Eoque certius, & S. Tertius, cor. R. P. D. Ansaldo dicta Part. 2. ubi supra impress.*

**8** Et ita resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in Syracusana Collegiatæ, ubi cum ab Episcopo prævia reservatio ne Beneplaciti Apostolici fuissest erecta Collegiata quatuor dignatum, & duodecim Canonicon de bonis à quodam pio Testatore relictis ad effectum dotandi annuatim nonnullas Puellas, nominandas à Confraternitate, nuncupat. S. Maria la Nova, cum reservatione jurispatronatus favore ejusdem Confraternitatis, loco juris nominandi dictas Puellas supplicatum fuit pro confirmatione, aut nova erectione hujusmodi Collegiatæ; proposito proindè dubio  $\square$  *An sit locus confirmationi erectionis Collegiatæ, & quomodo in casu &c. responsum fuit die 18. Feb. 1713.  $\square$  Negative, sed esse concedendam novam erectionem juxta modum, & ad mentem  $\square$ .*

Quæ resolutio confirmata etiam fuit in omnibus die 13. Aprilis 1715.

AR.